

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XIV. Aesopus ludens.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

hanc confessim sententiam edixit : quando-
quidem nunc satis appareat , a fucis tam nobile
opus non potuisse produci , iure meritoque il-
lis , a quibus profectum , restitui debet . Fa-
bulam hanc silentio praeteriisse : si , qui in
orbe literato sunt fuci , pactam non recusarent
fidem .

FAB. XIV,

Aesopus ludens.

Puerorum in turba quidam ludentem Atticus
Aesopum nucibus quum vidisset , restitit,
Et quasi delirum risit . Quod sensit simul
Derisor potius , quam deridendus senex.
Arcum retensem posuit in media via :
Heus , inquit , sapiens , expedi , quid fecerim .
Concurrit populus . Ille se torquet diu ,
Nec quaestioneis positae caussam intelligit :
Nouissime succumbit . Tum victor sophus ;
Cīo rumpes arcum , semper si tensum habueris :
At si laxaris , quum voles , erit vtilis .
Sic ludus animo debet aliquando dari ,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi .

Amant alterna Camoenae.

Cum Athenis quidam , in puerorum turba ,
Aesopum vidisset ludere nucibus : senem pue-
rilia tractare miratus , restitit , ac risit , eum v̄f-
que adeo insanire . Semet vero prius ipsum
sensit insanire derisor , quam deridendus se-
nex . Hic tensum ante arcum in via media
ponit laxatum : et heus , inquit , sapiens , dic
breibus et aperte , quid ego tibi hac re de-
mon-



monstratum velim. More solito conuolat vul-
gus, visum auditumque noua , quae referre
possit. Nasutulus vero ille rem diu multum-
que animo versat, neque , cur eam sibi quae-
stionem proposuerit, intelligere potest. Vi-
etas extremo porrigit manus. Adeo tandem
sapiens , reportata victoria , arcum, inquit,
cito franges ; eum si semper intensum habebis:
contra, si laxaueris, promptus erit continuo, quum
postulat usus. Sic animus interdum laxandus
est iocis : vt viribus instructior, quum voles,
esset ad cogitandum paratus.

FAB. XV,

Canis ad Agnum.

Inter capellas agno balanti canis,
Stulte, inquit, erras, non est hic mater tua.
Quesque segregatas ostendit procul. (pit,
Non illam quaero, quae cum libitum est, conci-
Dein portat onus ignotum certis mensibus, s
Nouissime prolapsam effundit sarcinam ;
Verum illam , quae me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quae te peperit. Non ita est.
Vnde illa sciuit, niger, an albus nascerer ? 10
Age porro scisset: quum crearer masculus,
Beneficium magnum sane natali dedit,
Ut exspectarem Ianum in horas singulas:
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quae iacentis miserita est, 15
Dulcemque sponte praefstat benevolentiam?
Facit parentes bonitas , non necessitas.